

primis ex eō, quod *Classicum Johannis locum i. Joh. V,7.*  
in *Versione Germanicā* omiserit ; masculē tamen iis re-  
spōnsum , & calumnia dissipata est à *Nostratibus Part. I.*  
*Consil.* Wittenbergens. f. 16. & *Gerbardō Part. 2. Disput.*  
*Academ.* p. 1303. seqq. ex quibus ea , quæ super hāc re in Of-  
ficiā Biblicā p. 396. habet, *Michaël Waltherus* excerptissime  
videtur. Verum ut multi Mysterium hōc *hypotheticē ir-*  
*ritum reddere* ausi sunt , ita *imprimis id*, faciunt Ariani &  
Sociniani *theticē* æquè ac *hypotheticē*. Apparet illud ex  
multis, *imprimis* verò ex eō , quod aureum planè dictum  
*i. Joh. V,7.* variis modis irritum reddere conantur. Et istos  
quidem id facere, non adeò mirum videri poterat ; Alios  
autem, & quidem ex Pontificiis æquè ac Calvinianis (vide  
*Gerhard. loc. cit. p. 1301. seqq.*) nonnullos idem voluisse, id  
verò perquam mirū, non videri solum, sed & esse potest. In-  
venti tamen & anteā sunt, qui id egerunt , & hodiè etiam  
superesse nonnullos , nimium proh dolor ! notum est.  
Et prioribus quidem ex asse satisfecit B. Gerhardus in au-  
reā planè dissertatione ad Dictum hoc , quam Jenæ Anno  
Christi 1619. publicè habuit quæq; reservata nobis est in  
Parte 2. *Disputat.* Academ. edit. ultimæ p. 1293. seqq. digna  
ut ab omnibus Veritatem amantibus & æstimetur , & cum  
attentione legatut Ortus tamen nostrō tempore est *Ri-*  
*chardus Simon*, Presbyter Gallus, homo ex periculis no-  
vitatibus conflatus, qui in Historia Critica N. T. eadem Zi-  
zania denuò dispergere, & palam disseminare non erubuit,  
id magnō conatu agens , ut eruditioribus persuadeat, Di-  
ctum illud, SS. Trinitatem planè demonstrans & evincens,  
non esse Johannis aut Canonicum. Quanquam verò asse-  
ri non possit, comma hoc in omnibus Græcis & Latinis Co-  
dicibus inveniri, testantur enim passim eruditii, & inter eos  
Gili-

mittitq

8 A